



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quòd fides secum patiatu[r] offici[u]m ciuile & conditionem, statum,
c[er]emonias & ritus, si desit superstitio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

rituram suam, agnoscens oppressam peccato: ut Christus sua sit vnica redēptio, iustificatio, quia sua morte solus meruit credentibus omnibus iustificationē & salutem, & qui nobis pœnitentibus gratis sine merito nostro distribuit suum beneficium: quisquis hoc credit, quod scilicet Christus p̄ peccatis nostris mortuus est, & resurrexit propter nostrā iustificationem, per hanc fidē accipit beneficia Christi, hęc fides sanctificat personā spiritualem ac Christianū facit. Sic arbor primò fit bona, & deindè fructus eius. Rom. 4.

Hęc fides quæ in solo Christi sanguine quærit remissionem & salutem, & nō in p̄prio opere operato, potest secum ferre sexum, officium, imperatorem, rusticum, monachum, laicum, diuersum vestitū, caeremonias, ciborum discrimina: quia in his nō quæritur iustitia, remissio aut salus, nec capitale bonū, quod in Christū transfertur: sed sunt exercitia fidei & charitatis erga proximū, ad laudē & gloriā Dei. Et sic dicit Matt. 7.
2.
1. Cor. 7:
 Apostolus: Si qs vocatus est in preputio, nō accersat circuncisionē, &c. Nam ad salutem nō iuuat, nec etiā salutem impedit, ut quis sit natus Iudæus vel Gentilis, sit Franciscanus aut Dominicanus: illa enim sunt exteriora. Igitur fides in Christi sanguine & eius operibus locat salutis fiduciam, & non in nostris hisce exterioribus. Non ideò saluor, quia habitu, loco solitario, diuerso cibo aut potu Monachus sum & Christianus: nec tamen hęc exteriora oberunt fidei, sed potiùs promouent, si sine superstitione & p̄sumptione salutis consequendæ fiunt. Euangelium non trahit personā ab ordine, ab officio, ab opere manuū, sed trahit animam à falsa intentione, & liberat conscientiā à falsa fide. Nam hęc est falsa fides, q̄ operibus nostris nosmetipsos iustificare & saluare possumus, quandò ea opinione nostra opera facimus. Nā vera fides quærit salutis summam in solo sanguine Christi & eius meritis: attamē p̄mittit manū in opere

personam in ordine vel religione, corpus in officio. Si primùm Iudæi crederent in Christum & baptizarentur, & postea circumciderent vel non circumciderent, saltem ne præsumerent per hoc se posse bonos effici & saluari, sed solùm per gratiam Iesu Christi, sicut patres eorum fecerunt, Act. 15. ubi Petrus dicit: Nunc ergò quid tentatis Deum, ut imponatur iugum super ceruices discipulorum, quod neq; Patres nostri, neq; nos portare potuimus? sed per gratiã Domini nostri Iesu Christi credimus nos saluos futuros quemadmodũ & illi, scilicet Gentes: significans, fidẽ in Christum, tollere omne discrimen inter Iudæum natum & Gentilem: tunc, inquam, res esset sine periculo. Similiter de discrimine ordinum, cæremoniãrum, rituum dicendum est, quandò liberè hæc seruantur, non ea intentione, ut per hæc velint salui fieri, sed ad exercitium fidei & seruitium proximi, castigationem corporis, Deo ad laudem & gloriam, tunc sine periculo hæc omnia benè seruari possunt. Sunt enim hæc quasi testa externa. Fides autem nucleus est internus, quæ fides sic externis decoratur & ornatur, sed externa hæc non sunt nucleus.

Discessio à fide seu Apostasia, est non solùm publica negatio Christi, sicut Iudæi negãt: sed fit, quoties quis hoc tribuit suis operibus, quod Christo debetur. Nam de Christo dicitur Ioan. 1. Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Et Roma 4. Mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter iustificationem nostram. Et Petrus Act. 15. Per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus nos saluos fieri. Ergò si quis remissionem & salutem suis tribuit operibus, & ea intentione facit, is apostatatur à fide iustificationis Christi, ei gratis aut frustra venit Christus. Ideò hæc intentio & falsa fides abijcienda est. Sic etiam Apostolus maximè laborabat cõtra Iudæos baptizatos, in Epistolis ad Romanos & Galatas, ut hæc fiduciam